

capitis Comundi gepidarum regis bello interfecti auro gemmisq; distinxerat afferri iubet. Is comundus pater fuerat Rhosimundæ Alboini cōiugis quæ tum conuiuio accumbebat. Allato poculo: quum ipse se se proluisset porrigi iubet Rhosimundæ. Commota mulier tum rei: tum loci contumeilia: quum inuita & indignans degustasset: simulato subrisu sane iquit hoc uinum non insuauie est. Peracto deinde conuiuio paulo post per amatorem. Alboinum interficiendum curat cum exprobratione. Discat ebriosus uir: quale de coniuge spectaculum tot principibus ediderit: Qui inter epulas & in oculis omnium impurissimum os: & crudelissimos oculos pauit suos. Clephin langobardi regem creant. Eo quoq; ob nimiam crudelitatem interfecto: aliquot per annos regibus abstinuere. Copias & opes: & quicquid prouinciarum obtinebant inter triginta eius gentis primores partiti sunt clephi non mitiores: Duces eos appellauere. Sed eo fediora itali passi quo multitudine imperantium auctæ crudelitates non imminutæ. Nullū enim genus saevitiae: aut immanitatis omissum. Admirabilis tamen illis rerum fuit successus. Vix enim credibili celeritate maximā italiae partem occupauere. Nam ante primum elapsum annum: Arimino expugnato: inde picentes: umbros: pelignos: Marsos: campaniam Ethruriam: magnā samni partem: sub iugum misere. Quascunq; cepere ciuitates omnes fere diri puere: Non aedificiis nobilioribus pepercere. Theatra: Basilicas publicaq; huiusmodi magni operis aedificia: quibus Italia erat referta: aut ad solum stratuere: aut magna ex parte ruinis fedauere. Ne uideretur autem gotthis aut Herulis fuisse mitiores: In utruq; mortalium sexum: non aliter seuiere q; in pecudes: neq; initio tantum ea sunt parrata: Sed per annos. cc. quibus tenuere italiā continuatis inter se depugnauere bellis: nullum est autem malorum calamitatumq; genus: Qd secum bella praesertim continuata: non afferant. Excurrebat: diripiebant: Ferro atq; igni cuncta uastabant. Ciuitates iacebat pene exanimes: Agri deserti & uastati: quum inter alternas tum uictorias: tum conflictus: in prædam semper cederent Barbaro uictori. Postea q; omni genere direptionum calamitatumq; italia fere tota sunt abusi: Pertesum tandem eos: ut mobile uulgas est eorum praesertim qui nimia laborant felicitate: atq; ui & armis omnia arrogant: diutius sub ducibus uitam agere. Reges iterum appetiere: Atq; omnium consensu Antha uirum fortē & acerrimum belli ducem sibi præficiunt. Regnum longe lateq; propagauit: omnem italiā ad fretum usq; siculum excurrens: coloniam in littore defixam: hasta contingens. Hic inquit ego fines langobardi regni cōstituo. Quicūq; eos uiolauerit poenas dato. Interea Lōginus hexarchus quū satis per eos annos hūisset continere se se intra Rauennam reuocatus cōstantinopolim a iustino prius pfectus ad uenetos: ut inde sumeret nauigationē: laudauit eos q; séper iūperatoris officio māssent: priuilegiis